



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. De Pœnitentia a Confessario injungenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ac qui ob malum finem jejunat, satisfacit obligationi jejunii, ut bene notat Vasq.; quia univrsim non est obligatio implendi præcepta in statu gratiæ, & satisfactio adhuc in statu peccati posita habet suum effectum principalem, qui est punire hic delicta, & reddere difficiliorem relapsum, ut docet Trident. sess. 14. cap. 8.

His explicatis, Quæremus primo nonnulla, quæ pertinent ad confessarium imponentem satisfactionem, seu pœnitentiam: Secundo, quæ pertinent ad pœnitentem in ordine ad injunctam satisfactionem: Tertio de Commutatione pœnitentiæ. Et quia satisfacere possumus pro peccatis non solum solvendo pœnitentiam a Confessario injunctam, sed etiam lucrando indulgentias, ideo de his, ac de suffragiis in calce hujus tractatus, prout per tempus licebit, agemus.

ARTICULUS I.

De Pœnitentia a Confessario injungenda.

- I. Quibus de causis possit Confessarius aut nullam, aut levem pœnitentiam injungere?
- II. Num possit pœnitentia solum sub consilio injungi?
- III. Pœnitentia gravis pro venialibus imposta sub gravine, an sub levi executioni mandanda est?
- IV. Injungi pro pœnitentia possunt etiam actus interni, ac opera præcepta, necnon opus pro defunctis, aut per alium ponendum.
- V. Num possit post absolutionem Pœnitentia imponi?

QUæritur primo, An teneatur semper Confessarius pœnitentiam injungere?

Respondeo, per se loquendo teneatur, etsi per accidens aliquando non teneatur. Probat, quia Trident. hæc habet sess. 14. cap. 8.: *Debent primo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate satiatas, & convenientes satisfactiones injungere; Ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum*

Pars VI.

peccatorum participes efficiantur. Quare ex Trident. constat debere Confessarium pœnitentiam injungere. Quod probatur secundo ratione, quia satisfactio est pars Sacramenti, ut est de fide; sed Sacerdos tenetur facere, quantum est in se, ut Sacramentum non solum substantialiter, sed etiam integre fiat, nec sit integre, si deficiat satisfactio, quæ est pars integralis: ergo tenetur ex parte sua satisfactionem imponere. Tenetur autem ad id sub gravi; quandoquidem etiam in judiciis humanis defectus pœnitentiæ est gravis defectus, quoties scilicet punitio vel esset nulla, vel valde minor delicto. Putat tamen optime de Lugo, quod sicut si pœnitens levissimam pœnitentiam non implet, peccaret tantum venialiter, ita Confessarius solum venialiter peccaret, si pro venialibus, vel pro mortalibus sæpe confessis levissimam pœnitentiam, quam deberet injungere, non injungeret; idque propter levitatem materiæ.

Aliquando tamen per accidens non tenetur Confessarius pœnitentiam injungere. Primo, verbi gratia, si pœnitens sit morti proximus, nec ullam possit pœnitentiam implere, nec acceptare; si enim posset saltem vel tondere pectus, vel invocare Sanctissima nomina, Jesus, Maria, hoc satis esset.

Q

Se.

Secundo ; si Confessarius ex ipsamet confessione , ex materia , & signis a poenitente exhibitis prudenter colligat , ipsum jam satisfecisse abunde pro suis peccatis , puta si quis confiteretur peccata levissima cum contritione maxima , & post graves poenas ab ipso in satisfactionem oblatas ; In his enim casibus aequitas Iudicis postulat , ut qui jam adaequate satisfecit , ad ulteriorem poenam non obligetur ; Præterquamquod cessat finis satisfactionis injungendæ . Neque dicas , quod in tali casu Sacramentum careret parte integrali . Nam hoc est falsum ; quia in tali casu ipsamet confessio facta cum tali dolore continet etiam satisfactionem ; Etenim ipse dolor est quædam poena peccati voluntaria , atque adeo ipse dolor continet aliqualem satisfactionem ; unde Sacramentum non careret parte sua integrali : Non nego tamen , consultius esse levissimam aliquam poenitentiam in similibus casibus injungere .

Tertio ex Fagund. , & Tamb. ; quando scrupulosus sapius intra horam redit ad Confessionale cum iisdem fere culpis , ut saepe absolvatur , potest relinqui impositio novæ poenitentiae , quia supponitur satis imposita in præcedentibus .

Quarto , quando Confessor prævidet fore , ut poenitens non sit executurus poenitentiam gravem , satius est modicam injungere , indicando illi , quanto majorem in altera , & in hac vita mereatur : Etenim olim pro quovis mortali publico in foro externo saltem septennii poena ex usu Ecclesiæ injungebatur ; & in altera mortale meretur poenam æternam : Cum autem Sacramentum poenitentiae debeat esse medicina , attendenda est fragilitas poenitentis , & illæ poenitentiae injungi debent , quæ deserviunt ad curationem ; Careritque facile accideret , ut , imposita gravi poenitentia ,

poenitens vel illam non impleat , vel confessionem deinceps fugiat , vel Confessarios quærat ineptos , qui eum curare nesciant . Quare , ut bene notat de Lugo disp. 25. sect. 5. num. 60. , in dubio inclinandum est in partem benigniorem , in qua minus est periculi ; & suppleatur , si commode possit , defectus poenitentiae usu indulgentiarum , qui vel consulatur , vel imponatur . Ex D. Th. enim in 4. disp. 17. debet esse confessor dulcis , affabilis , suavis , prudens , discretus , pius , atque benignus .

Et Suar. advertit , in hoc Sacramento spectandam esse magis salutem poenitentis , & ejus emendationem , quam satisfactionem pro culpa : Unde ex Con. , & Hent. , si poenitens dicat , se non posse exequi poenitentiam aliquam mediocrem , sed velle exequi parvam , Confessarius potest acquiescere ; quia medicus solet remissius agere cum agro , qui non potest ferre rigorem medicaminum . Et quamvis debeat illum monere de gravitate poenæ , quam meretur , non tamen ita ut in nimiam dejectionem , & diffidentiam incidat ; prout advertit Polancus . Et ratio horum omnium est , quia nisi poenitens curetur , actum est jam de ejus salute : Contra vero , nisi satisfaciatur in hac vita , poterit in altera satisfacere , & salvari ; ergo emendatio potius poenitentis attendenda est , quam satisfactio .

Quinto , quando quis lucratus est indulgentiam plenariam , poterit dimitti sine poenitentia satisfactoria ; esse non debeat dimitti sine poenitentia medicinali , si ea indigeat ; Ita Lug. , Gran. , & alii contra Valent. , Marchant. , Averf. apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 36. : Et ratio est , quia per indulgentiam plenariam adaequate satisficit debito poenæ ; Unde Bonifac. VIII. , ut refert Glossa apud Tambur. , nolebat injungi poenitentiam

tiam iis, qui Jubilæum anni sancti lucrabantur. Et D. Th. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. docet, esse de consilio pœnitentiam satisfactoriam implere, quando quis plenariam indulgentiam lucratur. Immo Lug. disp. 27. sect. 2. num. 24. putat, eum, qui lucratur indulgentiam plenariam non obligari ad pœnitentiam, etiamsi detur in medicinam, quia medicus non præcipit, sed suadet remedium, & solus iudex præcipit pœnam; Quare si non tenetur pœnitens ratione indulgentiæ ad pœnam, quæ præcipitur, nec tenebitur ad medicinam, quæ solum suadetur; nisi forte aliquando ad illam obligetur jure naturali, ne facile relabatur. Equidem tamen censeo, pœnitentem ad implendam pœnam medicinalem omnino teneri; quia in hoc Sacramento Medicus ex potestate clavium pœnam medicinalem non suadet tantum, sed etiam præcipit, ut executioni mandetur.

II. Quæritur secundo; Num pœnitentia injungenda sit sub præcepto; an possit etiam sub consilio?

Respondeo cum Lug. Vasq. Con., & aliis contra nonnullos cum Fagund. debere universim injungi per modum præcepti: Quamvis probabile etiam sit, posse aliquando saltem partem aliquam Pœnitentiæ injungi per modum consilii, dicendo, si vis relaxationem pœnæ ex opere operato facias hoc, aut illud: Et probabile etiam est ex Suar., Medin., Tambur., Dian. part. 4. tract. 4. resol. 82., contra Vasq., posse aliquando pœnitentiam gravem pro peccatis gravibus imponi, obligando pœnitentem ad illam sub veniali.

III. Præterea juxta multos Auctores a Tambur. laudatos probabile est, ad pœnitentiam gravem impositam pro venialibus, vel pro mortalibus alias rite confessis de facto obligari pœnitentem tantum sub levi: sed proba-

bilius est ex Suar., & Laym. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 136. pœnitentiam gravem universim imponi, & debere imponi sub obligatione gravi; non quidem quia cæteroqui deficeret Sacramenti pars integralis; (nam sic ne levis quidem pœnitentia omitti posset sine culpa gravi, quod nemo dixerit) sed ratio est, tum quia confessarius imponit pœnam ut iudex: Sic autem semper pœnam imponit obligando, & coarctando reum: Tum etiam quia Confessarius imponit pœnam, ut puniat peccata; qui autem suadet, & non præcipit, non punit ipse, sed hortatur alium, ut ipse se puniat; Unde Trident. dicit, pœnitentiam imponi ex potestate clavium, quæ non solum est potestas solvendi, sed etiam ligandi, seu obligandi; atque adeo obligari debet pœnitens ad pœnitentiam.

Ex dictis infertur, quamvis ex auctoritate D. Thom. probabile sit per illa verba, quæ profert Confessarius, *Quicquid boni feceris, & mali patienter sustinueris*, elevari posse ad satisfaciendum ex opere operato omnia opera bona, & mala pœnæ tolerata a pœnitente, non excusari tamen Confessarium ab imponendis gravibus pœnitentiis pro gravibus culpis; quod bene advertit Lug. disp. 25. sect. 4.; tum quia frustra tam gravibus verbis locutum esset Trident. de impositione pœnitentiæ, si vi illorum verborum, quæ in omni fere confessione apponuntur, cessaret ea obligatio; tum etiam quia probabilius est, quod virtute clavium non eleventur opera pœnitentis ad satisfaciendum pro peccatis per illa verba deprecatoria, cum ad nihil obligent pœnitentem; Nam virtus clavium tunc elevat, cum ligat; ergo si illa verba ad nihil obligant, nec elevant.

IV. Quæritur tertio; Quanam opera pro pœnitentia injungi possint?

Q 2

Re-

Respondeo; quodcumque opus bonum; quia quodcumque est de se satisfactorium.

Primo itaque imponi potest opus internum, ut docent Con., & Hurt. contra Marat., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 24.; sufficit enim, ut opus internum fiat sensibile per externam impositionem, & acceptationem, ut possit esse pars Sacramenti sensibilis.

Secundo, opera alias praecepta; ut audire sacrum die festo, jejunare in Quadragesima, vel aliud opus praestare, ad quod ex voto, verbi gratia, poenitens tenetur; ut communiter docent Doctores cum Suar., Laym., Valsq. contra Nugn., qui putat id esse mortale, si confessio sit de mortalibus. Ratio doctrinae est, quia cum per huiusmodi opera satisfaciamus ex opere operantis, nulla est ratio, cur virtute clavium non possint elevari ad satisfaciendum ex opere operato. Imo cum doceat Trident. sess. 14. cap. 9. mala, quae patimur necessario, ut paupertatem, aegritudines, &c., posse esse satisfactoria ex opere operantis, si voluntarie a Deo suscipiantur, & patienter tolerantur; hinc sequitur, posse spontaneam tolerantiam huiusmodi poenarum injungi pro poenitentia; Ita ut non solum satisfaciamus per actus internos, quibus patienter huiusmodi mala toleramus, sed etiam, (ut docent Suar., Lug. ex D. Th. in 4. quaest. 1. art. 4.) per illa flagella extrinsecus inflicta; cum hoc ex Trident. sit maximum divini amoris erga nos argumentum. Unde fit, ut quamvis decursu temporis poenitens non toleret cum patientia huiusmodi flagella, (ut aegrotus, aut qui in irremediis versatur) adhuc satisfaciat per illam acceptationem huiusmodi flagellorum, quam habuit acceptando sponte poenitentiam injunctam.

Advertendum tamen, convenientius esse, uti opera ceteroqui indebita pro poenitentia imponantur; quia quod non habet novum gravamen non videtur habere rationem poenitentiae; Imo ex Suar. disp. 38. sect. 6., quoties confessarius opus aliquod injungit, censetur, nisi aliter se explicet, injungere opus ceteroqui indebitum. Unde si quis crastina tenetur ex voto jejunare, & habuit pro poenitentia jejunium, non satisfacit applicando jejunium crastinum. Quod si imponatur jejunium singulis sabbathis unius anni, quamvis sabbatha, verbi gratia, quatuor temporum, & quadragesimae teneatur jejunare, in tali casu haec, & non alia jejunia debent poni pro poenitentia; & si ea omittantur, peccabitur ex duplici titulo in confessione aperiendo, ut notat Lug. disp. 25. num. 67.

Tertio, ex Lug., Dian. part. 3. tract. 4. resol. 54. contra Vegani, & Sanc. disp. 27. potest injungi opus pro defunctis applicandum, tam secundum impetrationem, quam secundum satisfactionem: Tum quia ipsa voluntas applicandi opus pro defunctis est satisfactiva pro poenitente: Tum etiam, quia etiam si applicetur pro defunctis ipsa voluntas applicandi illis opus injunctum, quatenus ex opere operantis est satisfactiva, adhuc tamen remanere potest pro ipso poenitente satisfactio operum injunctorum, in quantum per Sacramentum elevatur ad satisfaciendum ex opere operato, ut docet Lug. disp. 25. num. 62.

Quarto, potest imponi pro poenitentia opus bonum per alium ponendum; verbi gratia, ut curet poni jejunium, vel eleemosynam, vel celebrari Missam ab alio, &c.; tum quia ipsa procuratio talis operis quaedam satisfactio est; tum etiam quia, ut docet Suar. disp. 8. sect. 1. contra Valsq.

Vasq. ipsa satisfactio per alium facta elevari potest virtute clavium, ut ex opere operato proffit pœnitenti, qui illam procurat.

Denique non debet imponi pœnitentia publica, ex qua suboriri possit dubitatio prudens, quod pro gravibus peccatis occultis pœnitenti sit imposita; quia hoc esset revelare confessionem: Potest tamen pro peccatis publicis imponi pœnitentia publica; præsertim ex consensu pœnitentis. Immo debet aliquando pœnitens talem pœnitentiam acceptare ad tollendum scandalum, quod dedit; nisi ex rationabili causa excusandus videretur.

Adverto hic, eas debere imponi pœnitentias, quæ potius juvent ad præservandum a peccatis futuris, quam ad satisfaciendum pro præteritis; Quamvis a Confessario, Medico simul, & Judice utrumque spectandum sit, ex Trident. sess. 14. cap. 8.; unde satius est injungere aliquas mitiores post aliquod temporis intervalum continuandas, quam asperiores statim exequendas.

V. Quæritur demum; Possitne pœnitentia post absolutionem injungi?

Respondeo, posse, quoties non est probabile periculum, quod eam pœnitens non sit acceptaturus, ut docet Dian. par. 5. tract. 13. resol. 36.; Consuetudo enim imponendi illam ante absolutionem non videtur obligatoria.

ARTICULUS II.

De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.

- I. Num possit pœnitens recusare pœnitentiam, ut illam in Purgatorio luat?
- II. Quamdiu possit pœnitens impositam pœnitentiam differre?
- III. Poteritne pœnitentia executioni man-

dari, dum aliud præceptum impletur?

- IV. An etiam sub mortali teneatur pœnitens exequi circumstantias pœnitentia impositas?
- V. Num a substantia pœnitentia imposita deobligetur pœnitens, quando est impotens ad circumstantias?
- VI. Ad quid tenetur pœnitens, si pœnitentia obliviscatur?
- VII. Num possit aliquando pœnitens per alium implere pœnitentiam impositam.

I. Quæritur primo; Utrum pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare, & implere, an possit velle in Purgatorio satisfacere?

Respondeo cum communi Doctorum teneri; tum quia tenetur Sacramentum ex parte sua pœnitens perficere, atque adeo satisfactionem ponere, quæ est pars Sacramenti; tum etiam quia cum possit, & debeat ex Trident. Sacerdos ligare, seu pœnitentiam sub obligationem injungere, consequenter tenetur pœnitens illam acceptare, & implere; Dummodo ea non sit irrationabilis, ut esset ingressus in religionem, vel pœnitentia publica, quæ nimis dura censeatur; vel longa peregrinatio infirmo, vel gravis eleemosyna facienda a paupere. Victoria, & Vasq. apud Tambur. docent, esse de fide post Trident., quod Sacerdos ad aliquam pœnitentiam pœnitentem possit obligare; & Suar. putat oppositam sententiam esse temerariam: Aliqui tamen post Trident. oppositam sententiam putant probabilem, quia non est verisimile, quod Trident. voluerit damnare opinionem, quam sequebantur gravissimi auctores, Scot., Medin., Armil, Grabriel, & alii apud Tambur. Immo Cajet. laudatus a Lug. disp. 25. num. 68. putat, non solum non esse obligationem sub mortali acceptandi pœ-